

pœnas non relaxet. 20. Relinquatur nihilominus Principibus jus facinorosos hos puniendi. 21. Presbyterorum filii arceantur ab altaris ministerio, nisi Monachi aut Regulares facti. 22. Falsa pœnitentia non admittenda: quænam illa sit. 23. Hæretici habeantur, qui Eucharistiæ sacramentum, parvulorum baptisma, sacerdotium aliosque ordines, et matrimonium damnant, aut damnantes defendunt. 24. Pro chrismate, sacro oleo et sepultura non exigatur pretium. 25. Beneficium Ecclesiasticum non recipiatur de manu Laici: recipiens privetur beneficio. 26. Femina sub Monialis habitu non habitet in privatis ædibus, nec viros hospitio excipiat. 27. Moniales non conveniant cum Monachis aut Canonicis in uno choro ad psallendum. 28. Defuncto Episcopo ne vacet Ecclesia ultra tres menses: non excludantur Religiosi ab electione, alioqui irrita futura. 29. Ballistariorum et Sagittariorum adversus Christianos ars non exerceatur sub pœna anathematis. 30. Ordinationes a Petro Leonis aliisque schismaticis factæ habeantur irritæ.

## OECUMENICUM XI. LATERANENSE III.

I. Eadem, quæ proxime superioris, et præsentis Synodi causæ fuerunt. Schisma A. 1159 ortum cepit, quo ALEXANDER III legitime electus atque ab Hispania, Gallia, Anglia et Oriente pro Papa acceptus, Octavianus autem sub Victoris V nomine a tribus Cardinalibus oppositus fuit; FRIDERICO I Imperatore, quem Latini *Zenobarbum*, Itali *Barbarossam* dixerunt, antea pictura et litteris exasperato, postmodum ob investituras resumptas reprehenso, Antipapæ partes cum plerisque Germanis tuente, Italiam ad alterutrum distractis. Duravit suffectis identidem Antipapis, Guidone Cremensi sub Paschalis III, Joanne Abb. Strumiensi sub CALLIXTI III et Landino sub INNOCENTII III nomine, usque ad A. 1177, quo Imperator cum Pontifice Venetiis in gratiam et pacem rediit, Landino postmodum capto et in exilium deportato. Schismatis turbas auxit hæresis Waldensium et Albigensium. Waldenses a Waldo Lugdunensi mercatore dicti affectabant vitæ religiosæ genus; reprobatum autem a sede Apostolica, in errores et vitia ruentes, docebant Pontifici non obediendum; abstinendum a judicio sanguinis; quemlibet justum, etiam feminam, esse Sacerdotem; impios autem, etsi ordinatos, potestate sacerdotali carere; commixtionem carnis omnem urente libidine esse licitam; illicitum juramentum omne; ac manuum laborem esse perfectorum: præterea Vetus Testamentum non agnoscebant divinum; contemnebant indulgentias; invocationem Sanctorum, festos dies, jejunia et purgatorium deridebant. Albigenses, in Albigesio Galliæ oppido orti, partim Waldenses, partim Manichæos sectabantur, cum quibus duo rerum principia, metempsychosin et mundum æternum statuebant; peccatum originale, resurrectionem corporum, purgatorium et infernum negabant; Sacramenta omnia abjiciebant; Ecclesiæ potestatem ferendi leges et quidpiam possidendi eripiebant.

Concilium hoc indictum est ab ALEXANDRO III et ab eodem tanquam Præsidente ordinatum, frequentatum a trecentis Patribus, inter quos Nectarius Abbas nomine Græcorum: celebratum Romæ in Laterano: cœptum die 5<sup>o</sup>, et finitum 19<sup>o</sup> Martii A. 1179.

II. Sessiones tres habitas esse scimus: qua Sessione aut quo ordine quilibet ex tribus causis tractata sit, deficientibus documentis nescimus.

Qui uni superant, CANONUM summarium damus, in quibus prima vice legitur additio: « sacro approbante Concilio. » 1. Non censeatur legitime electus in Pontificem, nisi a duobus tertiis Cardinalium partibus suffragium tulerit. 2. Ordinationes Octaviani, Guidonis et Joannis Antipaparum, cum eorum actis omnibus, rescissæ sunt et irritæ. 3. Nemo promoveatur Episcopus ante 30<sup>um</sup>, aut Parechus vel animarum curator ante 25<sup>um</sup> ætatis annum. 4. Prælati subditos in visitatione haud gravent nimio hominum equorumve comitatu. 5. Non ordinetur quisquam sine titulo, aut alatur ab Episcopo, nisi ita ordinatus proprium habeat, quo se sustentet. 6. Nisi prævia commotione canonica non ferantur censuræ; a Prælati sui correctione Religiosi non appellent. 7. Non exigatur quidpiam pro Præsulum aliorumve benedictione; item sepulturis et exequiis, vel benedictionibus nuptialibus: consuetudo contraria non obstat. 8. Beneficia, necdum vacantia, ne quidem promittantur: vacantia intra sex menses conferantur. 9. De manu Laici Ecclesias aut decimas nec Clerici nec Religiosi capiant sine Episcopi auctoritate: Interdicti tempore Hospitalarii et Templarii semel dumtaxat in anno Ecclesias aperiant, non tamen mortuos sepelire ibidem præsumant. 10. Monachi non recipiantur in Monasterium pretio: non possideant proprium: extra Monasterium soli non versentur. 11. Clerici majorum ordinum servent continentiam: sodomia polluti, si Clerici sint, ejiciantur e Clero; si Laici, excommunicentur. 12. Clerici non sint Advocati, nisi forsitan suarum Ecclesiarum aut personarum miserabilium; nec procuratores secularium. 13. Nemo plura beneficia Ecclesiastica possideat; alias acceptum recipiens amittat, tradens largiendi facultate privetur: Beneficiatus resideat. 14. Excommunicentur Clerici, qui a Laico Ecclesias recipiunt sine Episcopi consensu; Laici, qui Clericos coram suo tribunali stare compellunt; item qui decimas in alios Laicos transferunt. 15. Reditus beneficiales post mortem Clerici maneant Ecclesiis. 16. Quod a majore et saniore parte in electionibus vel ordinationibus Ecclesiasticis statuitur sit ratum. 17. Ubi Patroni vel electores discrepant suffragiis, præferatur is quem majora merita et plura suffragia commendant: si id fieri nequeat, Episcopus provideat. 18. In qualibet Cathedrali Ecclesia constituatur magister qui gratis doceat. 19. Non imponantur onera Ecclesiis aut Clericis a secularibus. 20. Torneamenta seu gladiatorum pro virium ostentatione certamina rursus sub priore pœna sint prohibita. 21. Servetur treuga. 22. Sine Principum auctoritate non imponantur nova pedagia. 23. Leprosi, si separentur, proprium habeant oratorium et cœmeterium, sintque a decimis immunes. 24. Arma aut quæcumque Saracenis subsidia ministrare sub anathemate non liceat. 25. Usurarii manifesti priventur communione et sepultura. 26. A Christianis non recipiantur domo Judæi et Saraceni, nisi conversi. 27. Waldenses et Albigenses, hæretici et eorum defensores anathemati subsint: bellantibus contra eos sint indulgentiæ. Plures ex hoc et superiore Concilio Canones inserti sunt Juri Canonico sub præsidium Papparum nomine.

## OECUMENICUM XII. LATERANENSE IV.

I. Trinum hujus Concilii finem exposuit INNOCENTIUS III habita in ejus exordio oratione, liberandi nempe *TERRAM SANCTAM* a Mahometanorum tyrannide; extirpandi WALDENSIIUM et ALBIGENSIIUM hæresin, dammandique

JOACHIMI et ALMARICI errores; et reformandi Ecclesiasticam *disciplinam*. De sacris expeditionibus dicitur infra; de Waldensibus et Albigenibus dictum supra: de erroribus reliquorum nunc dicendum. PETRUS Parisiensis Episcopus, ob nativitatem Novaræ in Longobardia *Lombardus*, ob libros sententiarum *magister sententiarum* dictus, emendata docendi forma, ex genuinis Theologiæ fontibus concinnarat opus scholasticum, indicatò 4 librorum titulo inscriptum. Id quamvis plausu tum acciperetur summo, et plurimorum postea illustraretur commentariis, non caruit tamen nævis variis, inter quos gravissimi sunt, quæ numerantur a quibusdam, viginti sex opiniones erronee. Earum quamdam dum ALEXANDER III abrogandam litteris præciperet Archiepiscopo Senonensi, occasio videtur data *Joachimo* Abbati Floriacensi in Calabria, scribendi contra Petrum eundem libellum; in quo assertam in divinis non trinitatem sed quaternitatem eidem imponens, ipse docebat nullam rem esse, quæ sit Pater et Filius et Spiritus sanctus; et unitatem naturæ seu essentiæ in tribus Personis non esse veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam, ad modum illius qua multi homines unus populus, et plures fideles una Ecclesia dicuntur. Errorem hunc; non animi perversitas, sed subtilioris Theologiæ ignorantia peperit; cum plura errorum monstra furor et insania *Almarici* ortu Carnotensis, professione clerici et Doctoris Parisiensis protulit. Eorum e numero sunt, Christi corpus non magis esse in pane, quam in re alia qualibet; nullam esse resurrectionem, nullum paradysum, nullum infernum; thurificationem in Ecclesia esse idololatricam; adulteria aliaque flagitia non esse peccata, si ex charitate fiant; Deum in Ovidio, sicut in Augustino locutum.

Indixit hoc Concilium INNOCENTIUS III et eidem præsedidit. Adfuerunt Episcopi 412; Patriarchæ Orientales 2 præsentis, 2 per legatos; Prælati et Metropolitani 77; Abbates et Priores 800, et amplius; absentium Prælatorum et Capitulorum procuratores innumeri; denique Imperatorum et Regum Oratores plures. Romæ in Basilica *Lateranensi* celebratum est mense Novembri an. 1215.

II. Inter acta Synodi hujus refertur translatio ditionum Comitum Tolosani ad Simonem comitem Montis fortis, confirmatio Friderici II in Imperio, Stephani Cantuariensis Archiepiscopi, ob neglectum de censuris ferendis Pontificium mandatum, suspensio, et de Toletano Primatu disceptatio. Magis authentica et ad fines Concilii pertinentia sunt Decretum quo sacræ expeditiones ordinantur, et Canones quibus tum hæreses et errores, intactis JOACHIMI persona et Monasterio Floriacensi, damnantur; tum mores reformantur. Canones plerique in GREGORII IX decretales relati, sub Concilii generalis sine addito positi nomine laudantur.

Decretum pro sacris expeditionibus: 1. Cruce signatis pro tempore calendæ Junii, pro loco Brundisium ad conveniendum præstituit: 2. Monet Sacerdotes fungi recte officio suo, omnes abstinere a dissensione, non præsumere de se, sperare in Deo: 3. Clericis huic expeditioni adjunctis perceptionem beneficiorum integram per triennium concedit: 4. Qui votum expeditionis fecerunt, excommunicatione ad implendum illud compelli, alios ut faciant a Prælati incitari jubet: 5. Præter magnam pecuniæ vim a Pontifice sponte in hoc opus collectam, decernit vigesimam proventuum Ecclesiasticorum partem in triennium conferri: 6. Signatos cruce ab oneribus omnibus liberat,

eorum bona sub S. Petri tutela recipit, de iis usuræ exigi vetat: 7. Piratas expeditionis turbatores eorumque qualibet ratione adjutores, aut subsidia qualiacumque Saracenis ferentes anathemate percellit: 8. Pro traiectione expeditionis facilitanda prohibet navigationem aliam in terras Saracenorum: item torneamenta per triennium: 9. Treugam Principibus christianis per quadriennium imperat: 10. Expeditionem vel armis vel subsidio juvantibus, corde contritis et ore confessis, indulgentias plenarias impertit.

CANONES *dogmatici*. 1. Contra Hæreticos varios exponit fidem catholicam de Deo, de Trinitate, de creatione, de revelatione, de incarnatione, de Christi vita et morte, de judicio, de resurrectione, de vita altera, de Ecclesia, de Sacerdotio Christi, de Eucharistia, de transsubstantiatione, de potestate Eucharistiam conficiendi, de Baptismi forma et subjecto, de penitentia, de mediis salutis et salute etiam a conjugatis obtinenda. 2. Damnat libellum Joachimi contra Lombardum: libelli doctrinam et rationem refert primo, dein refutat, et Lombardi sententiam tanquam catholicam exponit ac probat: damnat ut hæreticos cum Joachimo sentientes, Joachimi tamen personam et Monasterium nulla afficiendum pœna excipit: demum Almarici doctrinam, quam non tam hæreticam quam insanam censet, reprobat et condemnat. 3. Excommunicat hæreticos alios omnes cujuscumque nominis, eos post damnationem seculari potestati subjicit, eorumque bona fisco addicit: hæreticorum exterminatores privilegiis ornat, toleratores pœnis afficit: sine Episcopi licentia prædicantes communione privat. 4. Excommunicat, et si perrexerint, deponit Sacerdotes Græcos, qui execrantur Latinos Sacerdotes, aut lotionem pollui ab his altaria sacrificiis declarant, vel a Latinis baptizatos rebaptizant. 5. Antiquam controversiam definit, post Romanum Patriarcham, primum Constantinopolitanum, secundum Alexandrinum, tertium Antiochenum, quartum Hierosolymitanum locum tribuendo: præcipit ut Patriarchæ a Papa, subjecti a Patriarchis pallium accipiant; appellationem ad eosdem statuit, salva appellatione ad sedem Apostolicam.

CANONES *morales*. 6. Concilia provincialia singulis annis celebrentur a Metropolitani. 7. Prælati corrigant excessus subditorum, maxime Clericorum. 8. Contra delinquentes procedatur vel per accusationem, quam legitima inscriptio, vel per denuntiationem, quam charitativa admonitio, vel per inquisitionem, quam clamosa insinuatio seu infamia publica præveniat. 9. In eadem civitate ne sint duo Episcopi: tolerantur tamen ritus diversi, cuilibet proprii. 10. Episcopi constituent prædicatores et Confessarios idoneos. 11. Constituant iidem in Cathedralibus Ecclesiis magistrum, qui sacras paginas et ad curam animarum pertinentia, in aliis, qui grammaticam doceat. 12. Singulis trienniis instituantur Capitula Religiosorum. 13. Non instituantur novi Religiosorum ordines; Abbas unus non præsit Monasteriis pluribus. 14. Clerici incontinentes puniantur secundum Canones: qui pro more regionis non abdicarunt copulam, iis matrimonio uti liceat. 15. Abstineant Clerici a crapulis, ebrietate, venatione. 16. Iidem abstineant a negotiis secularibus statum eorum dedecentibus, aleis et tabernis: tonsuram et coronam gerant: vestiantur modeste et congrue, tum in, tum extra Ecclesiam. 17. Abstineant a comessationibus et confabulationibus illicitis: intersint diligenter divinis officiis. 18. Non intersint iudicio sanguinis, nec exerceant chirurgiam quæ fit per unctionem vel incisionem. 19. Vasa et suppellectilia

Ecclesiae sint munda. 20. Eucharistia et chrisma custodiantur sollicite. 21. Omnis utriusque sexus fidelis, post discretionis annos, saltem semel in anno, peccata omnia confiteatur Sacerdoti proprio, poenitentiam inunctam pro viribus impleat, ad minus in Pascha Eucharistiam reverenter suscipiat; alioqui vivens ingressu Ecclesiae, mortuus sepultura christiana careat. Justa ex causa proprio confiteri nolens, ab illo licentiam habeat confitendi Sacerdoti alteri, ab isto alias non absolvendus. 22. Medicus corporis ad aegrum ante omnia curet vocari medicum animae; nec suadeat aliquid quod animae obsit. 23. Ecclesia cathedralis aut regularis non vacet ultra tres menses, devolvendo alias jure ad proxime superiorem, qui ipse ultra hoc tempus non differat provisionem. 24. Electio legitima fiat vel per inspirationem, vel per scrutinium, vel per compromissum: qui aliam viam tentaverit, ea vice eligendi jure privetur. 25. Electio per secularem potestatem nulla, eique consentiens inhabilis sit ad dignitatem. 26. Confirmator examinet electionem factam et electi habitudinem: electo extra Italiam fas sit administrare Ecclesiam, nihil tamen alienare. 27. Episcopi promovendos ad Sacerdotium instruant aut instrui curent. 28. Qui postularunt facultatem renuntiandi beneficio, ea obtenta compellantur eidem renuntiare. 29. Possidens jam beneficium curatum, et aliud recipiens, priori sit privatus ipso jure; utrumque retinere volens, privetur etiam altero: in eadem Ecclesia nemo plures dignitates vel personatus, etiam non curatos, simul habeat: fas tamen sit sedi Apostolicæ cum sublimibus et litteratis dispensare. 30. Ad Ecclesias assumantur idonei, rejectis indignis. 31. Canonicorum filii, praesertim spurii, ne fiant Canonici in eadem Ecclesia. 32. Parochus congruam portionem habeat ex proventus Ecclesiae: deserviat per se ipsum, nisi Parochia annectatur praebendæ vel dignitati. 33. Procuraciones ratione visitationis debitæ extra actualem visitationem non exigantur; et sint moderatæ. 34. Neque exigatur plus quam solvatur in procuracionem Legati vel alterius visitantis. 35. A iudice legitimo ante sententiam latam ne appelletur, nisi iusta causa iudici exposita. 36. Sententiam interlocutoriam vel comminatoriam, lite pendente, revocare iudici liceat. 37. Per litteras Apostolicas ad iudicem, ultra duas dietas remotum, nemo trahatur, nisi litteræ de partium assensu sint impetratæ, aut hujus Canonis specialis fiat mentio: absque speciali autem mandato Domini sui pro illo litteras ne quis impetret. 38. Iudex curet omnia iudicii acta diligenter conscribi. 39. Si quis a fure rem alienam scienter acceperit, contra possessorem spoliato hujusmodi succurratur per restitutionis beneficium, licet non probetur dominium, et rigor juris civilis obstet. 40. Actori ob adversæ partis contumaciam detentione adjudicata rei, quam tamen consequi prohibetur a reo, actor post anni lapsum sit verus rei dominus, et omnia possessionis commoda consequatur. 41. Absque bona fide nulla valeat praescriptio sive canonica sive civilis. 42. Ne Clerici jurisdictionem suam extendant in praedictum iustitiæ secularis. 43. Clerici qui nihil temporale habent a Laicis, ne cogantur ab his fidelitatis Sacramentum prestare. 44. Feudorum aliorumve bonorum Ecclesiasticorum alienatio, licet probata per Laicorum constitutiones, non valeat sine consensu Ecclesiasticarum personarum. 45. Patroni, advocati, vicedomini Ecclesiarum non plus usurpent quam quod jure concessum: iidem vel beneficiati si Clericum occiderint vel mutilarint, amittant munus vel beneficium prorogata poena

irregularitatis in quartam eorum generationem. 46. Confirmatur Can. 49 Concilii superioris: si sit necessitas, ut subsidium ferat Ecclesia, id fiat sine coactione, ubi Laicorum facultates non sufficiunt, consulto prius Papa. 47. Non feratur excommunicationis sententia, nisi monitione praemissa, praesentibus personis idoneis, et iusta manifesta de causa. 48. Qui iudicem recusat ut suspectum, recusationis causam coram eo proponat, et simul cum parte vel iudice arbitros eligat: causa ab his non probata, iudex pergat; probata, rem ad Superiorem remittat, vel reusatore volente committat tertio: ubi manifestum est crimen, appellationis ratio non habeatur. 49. Nemo ex cupiditate vel avaritia ferat aut solvat excommunicationem. 50. Prohibitio matrimonii inter consanguineos ad 4<sup>m</sup> gradum sit restricta; in 2<sup>o</sup> et 3<sup>o</sup> genere affinitatis sit sublata. 51. Clandestina matrimonia sint prohibita: proles ex his susceptæ censeantur illegitimæ. 52. Testes de consanguinitatis gradibus sint de visu, nec sufficiant amplius de auditu; scilicet dum agitur de matrimonio ex hoc capite dissolvendo. 53. Praedia decimalia non tradantur excolenda hominibus, nisi qui decimas integre solvunt. 54. Solvantur prius decimæ ex fructibus, quam census et tributa; quæ si prius soluta fuerint, ex his decimas solvi oportet. 55. Etiam Regulares propriis manibus terras colentes, si hæ decimis obnoxie sint, ex illis has solvant. 56. Non fiant elocationum aut infeudationum pacta, quæ in praedictum Parochiarum decimæ ad locatores divertantur: percepta ex his restituantur Parochiis. 57. Fit declaratio privilegiorum Religiosis concessorum, praesertim circa confraternitates, et Ecclesias tempore interdicti. 58. Indultum Religiosis conceditur etiam Episcopis celebrandi missam cum certis conditionibus, interdicti tempore. 59. Religiosi non fidejubeant sine Abbatis aut Capituli consensu; nec accipiant mutuo pecuniam, ultra summam communi providentia constitutam, Conventu alioquin libero: nisi manifeste constet, negotium redundasse in communitatis bonum. 60. Abbates, nisi specialiter concessum habeant, non se ingerant iis quæ sunt officii Episcopalis circa causas matrimoniales, poenitentias publicas, indulgentias. 61. Regulares Parochias vel decimas sine Episcoporum consensu de manu Laicorum non recipiant: excommunicatos vel interdictos non admittant ad divina: in Ecclesiis, ad ipsos pleno jure haud spectantibus, instituendos Episcopis non presentent presbyteros, qui ipsis de temporalibus rationem reddant: institutos non removeant inconsultis Episcopis: presentent idoneos. 62. Sacra Reliquiæ non sint venales, nec ostendantur extra capsam: de novo inventæ, nisi a Papa approbatæ, publicam venerationem non habeant: circa eas vitentur deceptiones, figmenta et falsa documenta. 63. Nihil exigatur pro Episcopi consecratione, Abbatis benedictione, Cleri ordinatione. 64. Non recipiantur Moniales pro pretio, statuta in recipientem et receptam poena perpetuæ relegationis in locum arctioris regulæ: eadem usura Monachis et Regularibus sit prohibita. 65. Episcopi nihil exigant pro concessione Institutionis beneficiæ, Professionis religiosæ aut sepulturæ. 66. Exequiæ mortuorum, benedictiones nuptiales, administrationes Sacramentorum fiant gratis, servata tamen pia et laudabili locorum consuetudine. 67. Judæis, qui immoderatas usuras a Christianis sumpserint, cum his non concedatur commercium donec illis satisfecerint: compellantur iidem ad decimas ex bonis huic oneri ante obnoxiiis, solvendas. 68. Judæi a Christianis habitu distinguantur; diebus

lamentationis et Passionis Dominicæ non prædeant in publicum: non sinantur blasphemare Christum crucifixum. 69. Officiis publicis non præficiantur Judæi aut Pagani. 70. Ne permittantur Judæi aliique ad fidem conversi hanc cum veteribus eorum ritibus permiscere.

## OECUMENICUM XIII. LUGDUNENSE I.

I. Ex quinque Concilii hujus indicti causis, facile princeps et uberius agitata est actio contra FRIDERICUM II Imperatorem; quæ ut perspiciatur accuratius, alteram de Expeditione sacra addimus, simulque susceptarum omnium brevem synopsis addimus.

EXPEDITIONES, ob finem sacræ, ob crucem prædicatam et militantium vestibis assutam *Cruciata*, suscipiebantur principaliter contra Mahometanos pro recuperanda aut defendenda Terra sancta seu Palæstina; tum etiam contra eosdem, Hispaniam vel aliam orbis christianiani provinciam invadentes; denique contra Hæreticos, præsertim Albigenses in Gallia; et postea Hussitas in Bohemia, aliosve Pacis Ecclesiasticæ perturbatores. Decem hujusmodi celebriores numerantur. 1<sup>a</sup>. cohortante Urbano II suscepta est A. 1096. principe Godefrido Bullionio Duce Lotharingæ: expugnatis Nicæa in Bithynia, Antiochia in Syria, ac tandem Hierosolyma; Dux victor regnum Hierosolymitanum acquisivit et condidit. 2<sup>a</sup>. A. 1101. sub Welfone Bavariæ Duce adornata, tripartito ex Germanis, Gallis et Italis exercitu, cassa est reddita ab Alexio Comneno Imp. Græcorum, Latinorum potentiam in Asia ægrius ferente, accedente etiam immaturo Bullionii obitu. Interea A. 1104. Hospitalarii, Equites primum Hierosolymitani S. Joannis, post Rhodii, dein Melitenses dicti; A. 1118 autem Templarii Equites sunt orti: quorum priores ad Christi sepulchrum peregrinos excipere hospitio; posteriores, fixis juxta templi porticum sedibus, peregrinos in Palæstinam deducere ex instituto; utrique eosdem contra grassatores et infideles defendere ex militari zelo susceperunt. 3<sup>a</sup>. prodiit Eugenio III auctore, S. Bernardo prædicatore, Conrado III Imperatore et Ludovico VII Rege Galliarum Ducibus A. 1145. concitata: ingenium belli apparatus Manuelis præcipue Imp. Græci invidia et perfidia attenuavit primum; orta subin inter Duces æmulatione et discordia, ne expugnato quidem Damasco, penitus perdidit. Tum vero, quæ ante jam inclinabat, ad ruinam properabat Palæstina; Saladino post victum captumque Guidonem, Hierosol. Regem, tota regione, unis Tripoli, Tyro et Antiochia exceptis, potito. 4<sup>a</sup>. pro reparando tanto malo, agente Gregorio VIII sub Ducibus Friderico I Barbarossa, Philippo II Galliarum, Richardo I Angliæ Rege et Leopoldo Austriaco, A. 1190. coaluit; majore expectatione quam fructu, ob Friderici in Cydno amne balneantis interitum, et discordiam reliquos inter Duces concitatum. Ptolemaide enim capta redierunt: eo in interitu erepta Græcis Cyprus, Guidoni nuper ejecto data, exulis familiæ jacturam aliquantulum sarcivit. Accessit sub hæc tempora, scilicet A. 1192. tertius militum ordo, nempe Teutonicus, pro Germaniæ nobilitate; cum Hospitalariorum et Templariorum potissima pars ex Francis et Belgis conflaretur. 5<sup>a</sup>. urgente Celestino III, duce Henrico VI Barbarossæ filio An. 1195. movit, sed prosperos sub initium successus discordia rursus et perfidia evertente. 6<sup>a</sup>. excitatore Innocentio III, An. 1204. suscepta est sub Balduino Flandriæ Comite, qui, dum Dandolo Venetorum duci junctus, facto per Thraciam itinere, Græcos com-

pulisset, ut Alexium Angelum juniorem reciperent Imperatorem, ob cædem novi Imperatoris Constantinopolim reversus, hæc urbe expugnata, ipse a Latinis constitutus est Imperator Orientis in Europa; Græcis interea Nicæa primum, tum Trapezuntii, novum Imperium Orientis in Asia erigentibus. Cum tamen expeditio hæc parum prodesset Terræ sanctæ; 7<sup>a</sup>. ab Innocentio III in Conc. Lateranensi IV est indicta, et An. 1217. ductoribus Andrea Rege Hungariæ et Leopoldo Duce Austriæ suscepta; cujus fructus fuit Hierosolyma et Damiatam expugnata. Utraque autem haud multo post in Saracenorum potestatem relapsa. 8<sup>a</sup>. successit Gregorii IX hortatibus et Friderici II auspiciis, qui An. hujus seculi 13, cruce jam signatus, sed voti haecenus negligens, tandem vi anathematis compulsus, aut etiam desponsa sibi Jolantha et illato in dotem Regni Hierosolymitani jure excitatus; An. 1228. in Orientem movit, expugnata cum quibusdam oppidis Hierosolyma, anno altero Rex ejusdem coronatus: sed inita cum Barbaris, quos perdere poterat, pace præpropera redux, omnem brevi post fructum, occupantibus pristina Saracenis, amisit. 9<sup>a</sup>. in præsentis Concilio decreta, S. Ludovicum Galliarum Regem habuit ductorem; et Damiatam expugnatam fructum, qui tamen capto postea Rege et urbe pro lytro reddita, non fuit diuturnus. 10<sup>a</sup>. An. 1270. resumpta est eodem S. Ludovico arma sacra transferente in Africam, Eduardo Angliæ Rege movente in Asiam: cum vero Galliarum Rex, expugnata Carthagine, in Tuneti obsidione sanctissime moreretur, Carolus Regis frater cum Tunetanis pacem, Eduardus cum Palæstinæ dominis inducias pactus, in Europam redierunt.

Non violati duntaxat voti et ingratitude erga sedem Apostolicam, sed et aliorum criminum, excitata maxime Gibellinorum Cesari et Guelforum Pontifici addictorum factione, reum se fecerat Fridericus II ideo ab Innocentio III et Gregorio IX ter anathemate innodatus. Proposuerat et Innocentius IV conditiones pacis: has vero quoniam Princeps cum Ecclesiæ contemptu rejecerat, ille non tutum sibi ratus remanere Romæ, clam cum Cardinalibus quibusdam recepit se in Galliam; ubi occursurus tot malis, indixit generale Concilium, evocatis etiam Regibus ac Principibus, speciatim Friderico comparere jussu. Adfuerunt, præter plurimos Abbatum procuratores et capitulorum deputatos, 104 Episcopi, inter quos Constantinopolitanus, Antiochenus et Aquileiensis Patriarchæ: ex secularibus Principibus Balduinus Imp. Constantinopolitanus: Fridericus autem non nisi per Legatos, quorum præcipuus erat Thaddæus de Suessa, Cameræ Imperialis Judex. Congregatum est Concilium Lugduni in Gallia, in ædibus monachorum S. Justi, præside ipso Innocentio IV Pontifice: sessionibus quinque, si præliminarem adjeias, aut tribus duntaxat juxta vulgatam sententiam, fuit circumscriptum, pro initio 28<sup>a</sup> Junii, pro fine 17<sup>a</sup> Jul. A. 1245. assignatis.

II. Sponderat quidem in Congregatione prævia Thaddæus, appellatis etiam Regum Galliarum et Angliæ oratoribus tanquam vadibus, Fridericum satisfacturum pro damnis et injuriis datis, aliaque additurum pro rebus Christianis opera ac merita; ut Synodi examine et judicio declinatis causam cum Pontifice componeret: sed noluit fidere promissis Innocentius; tum quia fallacia illa jam sæpius erat expertus: tum quia et Principali suo ignorante obtulerat obsides, et fidejussio imprudenter acceptata Ecclesiam cum duobus adhuc Principibus committere poterat. Itaque Sessione 1<sup>a</sup>. Pontifex Concilii

causas exponens, dixit de excessu Prælatorum ac Clericorum mores suos ad Canones non componentium; de subsidio Orientalibus ferendo adversus Saracenos, capta Hierosolyma, Ecclesiæ ruinam minitantes; de mediis ad impetum Tartarorum, Hungariam vicinasque regiones infestantium, reprimendum aptis; de Græcorum schismate in dies accrescente; de Friderici denique sceleribus: in quo postremo capite cum uberius perorasset, Imperatoris caudicus Thaddæus eloquenter magis quam solide respondit, objecta crimina alia inficiando, excusando alia, quædam in Pontifices ipsos retorquendo. Sess. 2<sup>a</sup>. Eadem causa agitata est, Episcopis quibusdam contra Imperatorem, Legato ejus pro illo dimicantibus: quo demum postulante datæ sunt duarum hebdomadum induciæ; ut vel ipse Imperator responsurus adesset, aut Legato ampliorem facultatem daret, circa schismatis et hæreseos objectionem. Sess. 3<sup>a</sup>. Instituta pro festo Nativitatis Beatissimæ Virginis Octava, editi sunt Canones seu constitutiones, præter Decreta causas Concilii attingentia, judicialem formam regulantes. Sess. 4<sup>a</sup>. Per lato ad Concilium contumaci Imperatoris, Synodo parere renuentis, nuntio, discesserunt ab ejus partibus plures: audite contra eum accusationes: queis respondendo cum Thaddæus non proficeret, appellavit ad Concilium proxime futurum generalius: appellatione autem rejecta, demum lata est in Fridericum excommunicationis et depositionis sententia, in qua scelera Imperatoris recensente, declaratur is reus violatæ pacis, Ecclesiam inter et Imperium inita; sacrilegii in captione et violenta detentione Cardinalium et Antistitum, ad Concilium a Gregorio IX Romæ indictum proficiscentium; Pontificiæ dignitatis læsæ per famosas in eundem Pontificem epistolas; invasionis patrimonii S. Petri, contemptus censurarum Ecclesiasticarum iteratarum; Ecclesiæ in sacris præsertim electionibus oppressæ; tyrannidis in Clericos, ad duella subeunda coactos; Romanæ Ecclesiæ frustratæ censu debito propter Siciliam jure beneficiario ab Ecclesia Romana acceptam.

Concilii hujus CANONES ad judicii formam pertinentes Libro sexto Decretalium inserti, cum reliquis hæc continent: 1. Dum Papa Rescripto delegat judicem, cum clausula ut quidam alii etiam conveniri coram eo possint; tantum quatuor alii, in citatorio nominandi, possunt conveniri. 2. Delegati sedis Apostolicæ sint in dignitate constituti, et tantum in civitatibus. 3. Vota conditionalia alternativa, dubia et incerta reprobentur, et habeantur pro non adjectis. 4. Delegatus nequeat compellere partes, ut personaliter compareant, nisi ad hoc speciale mandatum habeat, aut sit causa criminalis. 5. Exceptio peremptoria non impedit litis contestationem, nisi sit rei judicatæ aut transactæ. 6. Conservatores dati defendant sibi commissos, nec extendant potestatem ad judicialem indaginem. 7. Actor non comparens in termino per citationem præfixo, comparenti reo condemnatur in expensas: ad ejus petitionem non amplius citetur reus, nisi actor caveat de judicio sisti. 8. Volens contra alium plures movere quæstiones, omnes tractet coram iisdem iudicibus: aliter rescripta obtenta non valeant, nec processus; parti ad diversos iudices tractæ teneantur ad expensas. 9. Qui litigat de beneficio obtinendo, non mittatur in ejus possessionem, possessore licet contumaci; sed lite non contestata procedatur ad sententiam finalem. 10. Appellans ad Papam appellet in scripto, expressa causa et Apostolis petitis. 11. Judex recusatus statuat arbitrarium terminum ad cognoscendum de recusationis causis: eo elapso iudex pro-

cedat in causa principali. 12. Excommunicatio in participantes cum excommunicatis non teneat, nisi præmissa monitione. 13. Ecclesiæ administrator novus faciat inventarium, solvat debita, nihil alienet, debita non contrahat aut oppignoret absque solemnitate et causa legitima, annum reddat rationem. 14. Pro subsidio Imperii Constantinopolitani, ex dignitatibus et a residentibus non integre medietas, a reliquis tertia pars proventuum Ecclesiasticorum per deputatos Ecclesiæ Romanæ colligenda detur, exceptis tamen cruce signatis, a residentia legitime exeusatis, et apud Cardinales et Prælatos Romanos obsequia obeuntibus: subsidium ferentes gaudeant indulgentiis et privilegiis, queis Terræ sanctæ succurrentes gaudent. 15. Moneant de subsidio ferendo Prælati populum sibi commissum. 16. Contra Tartarorum incursus muniantur terræ; de illorum motibus moneatur sedes Apostolica, subsidium procuratura, imperatura, destinatura. 17. Decernitur expeditio in Terram sanctam, eodem fere tenore; quo postremum Concilium est usum.

CANONES Innocentio IV. et huic Concilio inscriptos alios duodecim reperire est in Libro Decretalium sexto, Titulis de Electione, Exceptione, Homicidio, Officio Ordinarii, Privilegiis, Restitutione spoliatorum, Sententia et Re judicata, Sententia Excommunicationis et Testibus; ab Actis tamen Concilii absunt. Cæterum nec superiores omnes in ipso Concilio factos testatur Matthæus Parisius.

## OECUMENICUM XIV. LUGDUNENSE II.

I. Præter repetitas jam causas, de subsidio *TERRÆ SANCTÆ* et morum *REFORMATIONE* urgendis, præcipua pro hoc Concilio congregando fuerat *UNIO* cum *Græcis* resarcienda. Steterat ea utcumque post Photii alteram depositionem per Seculum etiam decimum, quantumvis Ecclesiæ Latine luctuosum, et amplius; atque frustratis Patriarcharum Constantinopolitanorum conatibus (præsertim Nicolai mystici in impugnatis tertiis et quartis nuptiis, Theophylacti in obtento Pallii proprio jure, Sisinii et Sergii in vulgatis rursus litteris et calumniis Photianis, Eustathii in postulando Patriarchæ oecumenici titulo) Primatus Romani Pontificis a Græcis adhuc agnoscebatur. Post medium vero Seculi undecimi, bellum et schisma restauravit Michael Cerularius, ut Constantinopoleos Patriarchatu, quem contra Canones occuparat, impune fruere, et vindicaret negatum quoddam sibi privilegium; usus eam in rem, præter vim et artes, seditioso Nicetæ Pectorati scripto, quod litteris suis munitum ad Orientis Episcopos et Monachos emiserat. Re causaque comperta, Leo IX. summus Pontifex, tum scriptis ad Cerularium pro stabiliendo Primatu et diluendo schismatis prætextu litteris, tum Legatis tribus Constantinopolim missis, redintegrare pacem studuit: jamque Legatorum Princeps Humbertus Cardinalis edita confutatione effecerat, ut Pectorati libro flammis addicto, Constantinus Monomachus Imperator ne quis Ecclesiæ Romanæ Primatum et doctrinam impugnaret, ediceret: sed Imperatore subinmortuo, Cerularius apud Theodoram rerum potens rupit unionis negotium; et Orientis ob dominantia vitia non minus quam hæreses grassantes in casum jam prono, tres Patriarchas in schismatis communionem pertraxit. Tentata quidem sub Commeno reunio, spes etiam ejus a Manuele facta, et flagitatio ab Alexio Angelo seniore ad Innocentium III. delata est; quin et a Latinis Imperatoribus in Thraciam, Græciam et Bulgariam reducta, aliquandiu